

Bav. IOANNIS ANTONII DE WOLTTER

17912.
2079. ORATIO ONOMASTICA

IN HONOREM

SERENISSIMI PRINCIPIS,

MAXIMILIANI

JOSEPHI,

B. UTR. BAVAR. DUCIS,

S. R. IMP. ELECTORIS,

RELIQUA,

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

QUA

GLORIAM ET EMOLUMENTA

PRINCIPUM

EX CONDITIS A SE ATQUE PROMOTIS ACADEMIIS

SCIENTIARUM ORIRI DEMONSTRATUR,

HABITA

IN SOLENNI ACADEMIÆ ELECTORALIS BAVARICÆ

PANEGYRI

MONACHII D. XII. OCTOBR. M D CC LXI.

JOHANNES ANTONIUS DE WOLFFER

ORATIO ONOMASTICA

IN HONOREM

SERENISSIMI PRINCIPIS

MARIA

JOSEPH

UTR. BAVAR. DUCIS

S. R. IMP. ELECTORIS

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

QUA

GLORIAM ET EMOLLIMENTA

PRINCIPUM

Bayerische
Staatsbibliothek
München

EX CONTINUIS A SE ALIUD PROMOTIS ACCEDEBANT

SCIENTIARUM OMNIUM DEMONSTRATA

IN OMNIBUS ANTIQVARIIS REPERTORIIS BAVARICIS

PAVLO VARI

MONACHI D. XII. OCTOB. M. D. CC. LXI.



ILLUSTRISSIME ATQUE EXCELLENTSSIME
D O M I N E
PRÆSES ACADEMIÆ
SCIENTIARUM BAVARICÆ!

ILLUSTRISSIME DOMINE PROPRÆSES!
VIRI REVERENDISSIMI, PRÆNOBILES,
AMPLISSIMI, DOCTISSIMI,
NOVI INSTITUTI LITERARII DIRECTORES
ATQUE MEMBRA
OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDI,
COLLEGÆ MAGNOPERE SUSPICIENDI!



Ætissima, quæ hodie rediere, anniversaria
festa onomastica *SERENISSIMI*
BAVARIÆ ELECTORIS, Domini
nostri clementissimi, quæ ut auspiciatiss-
sima semper patriæ exoriantur, precamur, cum celebret
aula,



aula, urbs, natio, recte judicavit & pietati conformi-
ter academia scientiarum, ab indulgentissimo Prote-
ctore nuper ad Bojici nominis gloriam excitata, sibi
quoque in tanto festo, Charitibus ipsis jucundo, non
esse silendum, deberique suo Apollini hanc gratiam,
ut & bono die bona verba dicat, & ex præclaro hoc
instituto læta quævis atque fausta ominetur *PATRI*
PATRIÆ INDULGENTISSIMO, his vero sub
alis protectricibus, his faventibus & foventibus, bene
& feliciter quævis eventura esse scientiis, artibus, literis,
feliciterque adjutum iri publicam salutem atque ad sidera
evectum Bojicæ gentis gloriam haud incertis argumen-
tis vaticinetur. Cujus pietatis initia cum insigni speci-
mine dederit perillustri BUATIUS, Eques Melitenfis,
qui historicam hujus instituti literarii classẽ ingenti cum
laude, diligentia, & doctrina regit, ego philosophicæ
dirigendæ destinatus cur non ipse quoque, imparibus
licet gressibus, tam præclarum exemplar sequar, qui do-
ctrina quidem atque eruditione aliis lubenter de via de-
cedo, pietatis vero cultusque erga *SERENISSI-
MUM HERUM* nomine nemini concedere inter of-
ficii partes primo mihi loco hætenus constitui, porro-
que

que constituam? Dicam itaque pauca & in compendio de gloria & emolumentis Principum ex conditis a se & promotis academiis scientiarum oriundis. Vos, viri summi, animis linguisque favete.

Magna & insignia emolumenta esse, quibus ex societatum literariarum industria augetur respublica literaria, nemini Vestrum, Auditores omnis ordinis honoratissimi, ignotum esse, eo certius judico, quo magis, hoc ipso calcari instigati, in id communi voluntate consensistis, ut junctis eruditae vestrae diligentiae laboribus nova emergat academia scientiarum, civitatis eruditae incrementis destinata. Ipsi enim, quae vestrae prudentiae vis & accuratum judicium est, probe nostis, non omnia in hoc orbe literario posse omnes, sed divisam per ingeniorum classem notitiam junctis tantum laboribus ad insignes gradus posse promoveri. Quod cum communia civitatis literatae officia definiat, cur non in hoc ipso reipublicae statu excellentiori gradu expectari queat à senatu literario, justis legibus coalescente? Ab hoc enim ingeniorum in scientiis probe versatorum delectu jure id suo expectari potest, ut publicae ingeniorum pau-

pertati succurrat, artium limites tot impedimentis nimis
 coarctatos amplificet & extendat, atque ingenitum bo-
 nis mentibus ardorem novis ignibus emicaturum accen-
 dat, in id connitendo, ut ignorantiae succurratur, &
 ex proprio penu afferat laudabilis æmulatio, quibus au-
 geantur communia disciplinarum studia, quibusque in-
 crementa capiat populi sapientia. Quis enim non ad
 hujus generis societatum exempla exardescat, ea in usus
 publicos conferendo, quæ vel privata suppeditat indu-
 stria, vel collatæ ab aliis opes largiuntur? Ita vero dum
 per universum, quaqua patet, utilissimarum scientiarum
 campum palando vagatur communis industria, dum
 ad propria alvearia doctrinæ mella colligunt & compor-
 tant apes industriæ, o quam pulchrum doctrinæ & sa-
 pientiæ exsurgit ædificium! Vidit id & cognovit prisco-
 um seculorum canities, quibus nil solenne magis fuit,
 quam publicis doctissimorum ingeniorum collegiis scien-
 tiarum mysteria, exclusis ob ingenii paupertatem vulgi
 conatibus & relicto plebi mechanici usus cortice, insti-
 tutis promovere sapientissimis, augere disciplinarum
 limites, & selecta ingenia novis instruere luminibus.

Apertum hic campum intueor, in quem exspatiando, per omnium fere populorum, etiam qui a morum peregrinitate Græcis & Romanis barbari dicuntur, historiam, ejusmodi erudita collegia, scholas, societates tribusque literarias, sacro potissimum sacerdotii honore auctas, liceret in testimonium adducere, & Chaldæorum, Aegyptiorum, Persarum, Aethiopum, &, si fas est ob communem originem addere, ipsorum Americanorum, ex quo Yncarum imperium inter Peruvianos exortum est, exempla proferre, quibus evinci potest, in communia sapientiæ incrementa tota virorum doctorum collegia conspiravisse, indeque originem tandem publicarum scholarum, quas barbaro nomine universitates studiorum, id est, publicos disciplinarum mercatus vocamus, esse derivandam. Unicum tamen, nobis quodammodo domesticum, silentio præterire nequeo, qui quod Boji estis & Gallicæ prosapiæ, audire vobis injucundum esse nequit. Inter Gallos sacris æque ac literis Druidum ordo addictus fuit, exemplo non semper imitando, quod periculosum est, omnem scientiam pene eos residere, qui soli religioni præsunt. Ast quæ illorum fuerint instituta, audite ex Cæsaris com-
men-

mentariis : „ Imprimis hoc volebant persuadere, non
 „ interire animas, atque hoc maxime ad virtutem ex-
 „ citari putabant metu mortis neglecto. Multa præte-
 „ rea de sideribus atque eorum motu, de mundi acter-
 „ rarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum
 „ immortalium vi ac potestate disputabant & juventuti
 „ tradebant. An non mirandum, apud Gallos, tum
 temporis barbaros, principum populique suffragio or-
 dinem peculiarem indagandæ veritati docendæque genti
 jam dicatum fuisse? Hinc neutiquam mirum est, adeo
 cæteris Barbaris Gallos præcelluisse, adeo numerosam
 gentem, cui rerum natura haud ignota, fuisse, adeo
 fortem, cui meliora post hanc vitam promittebantur.
 Peccavit nihilominus gens sapientissima, nimium Dru-
 idibus suis credens, nimium fidens, & servitutem dome-
 sticam induens. Plura hanc in rem dicere possem, ab
 hac vero prolixitate, cum me arcti temporis limites &
 instituti ratio avertant, multaque jam olim ea de re di-
 xerit CONRINGIUS literatissimus, id unum in
 præsentia sufficere posse judico, si historia duce affirma-
 vero, imperantium principumque favores & auxilia col-
 le-

legiorum istorum diligentiam & felicitatem scientiarum
inde auctam maxime perfecisse.

Vadem Vobis do, Auditores colendi! purpuratum
regum principumque agmen, quorum non tantum au-
ctoritate, munificentia, protectione, ejusmodi societa-
tes literariæ atque doctorum virorum collegia sustentata
sunt, sed qui ipsi quoque iis interesse & vel capita eorum
vel membra censerī dignum axiōmate suo esse censue-
runt. Cui enim vestrum ignotum est, Magorum apud
Persas collegio archimagum præsedisse ipsum magnæ
gentis regem? Quis ignorat, sacris Diospolitanorum,
Heliopolitanorum, aliisque conventibus, quibus univer-
sarum scientiarum circuli concludebantur, non adscri-
ptos modo, sed præfectos quoque fuisse Aegyptiorum
reges, in omni gentis sapientia a pueritia educatos?
Quis traductum a barbaris gentibus ad liberalia Græco-
rum ingenia morem nescit Philippos, Alexandros, Atta-
los, Dionysios permovisse, ut non protegerent tantum,
sed & augerent regiaque instruerent liberalitate & mu-
nificentia ejusmodi virorum sapientium collegia? Quem
non cepit admiratio conatum a Ptolemæis hunc in fi-



nem in amplissimo Aegypti regno susceptorum, & quæ inde celeberrimi musei Alexandrini gloria effulserit, ut alia hujus generis prytanea taceam? Adderem Asiatica exempla inter Indos, Sinas, atque Japonenses emicantia, nisi tempori esset parcendum, & me non monente, vestra, Auditores, quæ in omnem literariæ historiæ regionem solet excurrere, eruditio mihi hic otia faceret. Non ignoro, nec inficior, posteriora illis temporibus secula, in quibus, maxime postquam Italiæ robur honorque a barbaris gentibus conculcatus est, ipsius Orientalis imperii splendor sensim emarcuit, hujusque felicitatis literariæ in aulis florecentis memoria tantum non funditus interiit, & vix umbra relicta in aula Constantinopolitana, ubi, constituta supremi philosophorum principis dignitate inter aulica imperatoris ministeria relata, viri docti in societatis communionem ad sistendam scientiarum, quam moliebantur, fugam consenserunt. Ast, quod ipsis disciplinarum incrementis adeo fatalem eventum minabatur, favente providentia ad pristini decoris resurrectionem est adhibitum. Exspirante enim & everso tandem Turcarum aggressionibus Romano Orientis imperio, disjecti quidem & per omnes terras dispersi viri docti sunt, omnisque eruditionis gloria inter

Græ-

Græcos exaruit: at inter ipsas barbariei tenebras, quæ Occidentem per decem fere secula obscurarunt, (nostis, Auditores, medii ævi infelicitatem & ferrea secula!) ex hac ipsa virorum literatorum fuga, quum in Italiam velut ad asylum quoddam confugissent, occasionem arripuit quæ literis favebat cœli providentia, ut, excitato principe sapiente, docto literisque favente, novis virorum doctorum institutis collegiis literæ elegantiores & philosophia renascerentur, pristinusque disciplinis honos resurgeret. Mediceæ gentis curam & industriam innuo, qua potissimum factum est, ut fugientes Græci, insignibus beneficiis atque gratia excepti, auctoritate, jussu, sumtibus, consiliis, institutis COSMI, magni Etruriæ ducis, in communem literarum & imprimis scientiarum philosophicarum academiam colligerentur, principisque liberalitate suffulti in publico eruditæ disciplinæ, maxime quæ Platonis placita sequebatur, prytaneo alerentur. Quæ res cum veras academiarum nostro tempore tanta cum laude & scientiarum augmento conditarum origines contineat, digna est, quæ ex MARSILII FICINI præfatione ad Plotini versionem latinam penitus cognoscatur.

Hujus principis exemplum cum sequeretur filius PETRUS, neposque LAURENTIUS, & manus auxiliatrices jungerent PICI, comites Concordiæ ac Mirandolæ principes, & faveret quoque his institutis papa LEO X. nobilis illa scientiarum academia exorta est, cui renatarum scientiarum philosophicarum elegantiam debemus. Et felix Italia, si summorum horum exemplorum vestigia pressisset & favisset porro! Id, quod NICOLAUM V. & PAULUM II. pontifices maximos, fecisse constat, conditis novis, quæ naturæ potissimum scrutandæ sudores laboresque suos destinabant, societatibus literariis, quibus signum sustulit & primus academiam scientiarum naturalium in patria, Cosentia, instituit BERNARDINUS TELESIIUS. Ast quod tantopere frugiferum fuit intra privatas domus & musea doctorum virorum, ut tota societatum literariarum agmina inter Italos prodirent, jucunda narratione a personato IARKIO exposita, id tantum non prorsus desertum est ab Italiæ principibus, & vix Florentiæ pristinae benevolentiae vestigia reliquit; certe a severiori philosophiæ studio ad jucundiores elegantiorum literarum delicias Italicae societates declinaverunt.



Attulit remedium nutanti huic meliorum literarum, maxime philosophicarum, auxilio magnum illud ingenium, quod felici fidere severioribus melioribusque scientiis apparuit, BACO VERULAMIUS, verus omnis emendatæ & eclecticæ philosophiæ parens, qui non tantum sobrie magis atque emendate philosophari posse prudentissimis scriptis docuit, sed etiam, cum vehementer naturali sapientia delectaretur, ingeniosum typum academici sive collegii publicis principis sumtibus erigendi excolendarumque per communes labores rationum physicarum & moralium in elegantissima novæ atlantis fabula, utinam hanc absolvisset! mira jucunditate exposuit.

Attentus ad ejusmodi auxilia, qui in argumento maxime naturali, abjecto Aristotelis & Scholasticorum iugo, tandem castius philosophari cœperat, orbis eruditus & acutis imprimis ingeniis fecundæ Gallia atque Anglia, cum ineunte seculo XVII. meliora de rebus naturalibus dogmata capita erigerent, mature de excitanda scientiarum academia & conciliando illi regali patrocinio cogitarunt. Quod enim monuisse videbant

toto divisi ab orbe Britanni VERULAMIUM suum, privatis primum in schola Oxoniensi studiis & conatibus susceperunt, ut inita societate literaria viri quidam docti de natura rerum factis experimentis curatius dispicerent, laboresque suos invicem communicarent. Id temporibus quidem turbulentis, quæ bellum civile produxerat, valde impeditum est: at redeunte ad patrium solium CAROLO II. Angliæ rege resumtum & ad principem relatum, ab eoque ex summorum virorum consilio societas seu academia Londini collecta est, munita regis privilegiis, ornata subsidiis, disposita legibus, quæ ad hos nostros dies insigni cum laude floret. Cujus historiam cum THOMAS SPRAAT accurate conscripserit, nihil ego hoc loco addo.

Susceperat easdem curas GALLIA, sed ad patrii primo sermonis puritatem & elegantiam attenta, cum, auctore Capellano, cardinalis RICHELIVS, qui tunc regni habenas regebat, academiam gallicam conderet, eique a rege privilegia, ordinem, sumtus, leges impetraret, quæ cuncta nitido calamo elegantissimus PELLISSONIUS memoriæ prodidit. Quum autem pulchrius

Chrius castiusque de rebus naturalibus cœpissent cogita-
 re Galliæ philosophi, & nova philosophiæ facies Gas-
 sendo & Cartesio auctoribus prodiisset, ex privatis
 summorum virorum conventibus tandem, faventibus
 regis administris, ac jubente, qui literis impense fave-
 bat, & sumtus atque auctoritatem addente LUDOVICO
 XIV. academia scientiarum Parisiensis enata est, rebus
 ad naturam & mathesin considerandam spectantibus poti-
 ssimum destinata, cujus historiam DU HAMELIUS expo-
 suit, & cui ad nostram ætatem tot viros summos, rerum
 physicarum & mathematicarum peritissimos, tot nova
 inventa & detecta, tot insignia naturalium scientiarum
 artiumque, maxime mechanicarum, incrementa atque
 augmenta debemus, ut singulari earum felicitate regiam
 munificentiam ad hos conatus accessisse, sine qua non
 potuissent ad communem orbis utilitatem eniti, nisi rex
 magnificentissimus consilio opem attulisset, omnibus fa-
 tendum sit.

His duobus exemplis excitatum est, quicquid sa-
 nioribus melioribusque literis favebat; maxime viri
 magni & immortalem in orbe literario gloriam conse-
 cuti,



cuti, quibus ad aures principum facilis erat aditus, in id consenserunt, ut imperantibus erigendarum academi-
arum literariarum auctores suasoresque essent, sicque
& suarum regionum & omnis simul orbis habitabilis fe-
licitatem adjuvarent. Favit huic consilio providentia
Numinis, permovitque summos passim principes, ut
Britanniæ Galliæque exempla sequentes academias scien-
tiarum erigerent, suaque protectione, auctoritate, mu-
nificentia bearent. Quo pacto medicorum Germano-
rum, naturæ curiosius scrutandæ se destinantium, col-
legium primum gloriosæ memoriæ imperatoris LEO-
POLDI favorem obtinuit; paulo post in ipsa Russiæ bar-
barie, auctore principe supra omnes laudes posito, PE-
TRO I. Imperatore, Petroburgi, & suadente magno
LEIBNIZIO a FRIDERICO I. Borussicorum Rege, Beroli-
ni, regiæ scientiarum academiæ regiis sumtibus & con-
siliis excitatæ sunt; sequentibus hæc exempla Sueciæ,
Hispaniæ, Lusitaniæ, regibus, & electoribus Mogun-
tino atque Hannoverano, hujus generis societates Er-
furti atque Gœttingæ constituentibus, sic ut seculum
nostrum vere dici possit academicum, vere regium.

Quis

Quis non princeps sapiens & ad suam non magis gloriam, quam populi quoque sui salutem, intentus ex hac regia scena prudenti ratiocinatione colligat, dignum esse imperante & communi regnorum utilitati conveniens, si academias scientiarum instituat, foveat, nutriat, tueatur, pulchrumque esse tot ac tanta summorum regum exempla laudabili æmulatione sequi?

Recte vero & ex æquo fuisse ratiocinatos, qui consiliis in condendis academiis scientiarum regibus principibusque præiverunt & ad ingentes in id sumtus faciendos calcar addiderunt, ipsa nos convincit experientia, locuples & gloriosum eruditioni testimonium perhibens, quo pacto principum gloria, populorum salus, gentis honor, ipsiusque majestatis splendor, academiarum rite institutarum & a principe gratia, protectione & munificentia suffultarum auxilio possint augeri. O quam jucundum hoc loco esset, exemplis id ex academiarum istarum annalibus petitis, & iis quidem luculentissimis, demonstrare atque ostendere ex illarum memoriis literariis, quam pulchre ignorantiam extirpaverint, subditorum ingenia acuerint, terrarum, montium, fodinarum,

C

aqua-

aquarum thesauros detexerint atque auxerint, commoda humani generis innumeris modis promoverint, quam inde gloriam majestati protectrici, quas illi ex auctis redditibus divitias procuraverint! Verum hæc longius temporis ad enumerandum spatium postulant, quam mihi superesse video, & vobis ea, viri summi, quibus literaria nostrorum seculorum historia satis superque nota est, enarrari opus haud est, facile ex academiarum regiarum annalibus in vulgus editis discenda.

Dicam itaque paucis & enarrabo gloriam & emolumenta principum, quæ certo academiarum rite institutarum labores consequentur. Non monebo, quod cuilibet fulgorem diadematis cogitanti in mentem veniet, ingentem inde oriri apud gentes, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, gloriam principi, non tam sanguinis nobilitate, non dignitatis splendore, non potentiae robore, quam sapientiae commendatione doctrinaeque exercitatione eminere cupienti, si ad sapientissima regendi artificia conversus prudentia, institutis, artisque & doctrinae profectibus populum regere didicerit; certus, tum demum, auctore Platone, felicem fore rem-

republicam, si vel sapientes regnaverint, vel reges sapientiam profiteantur, nihil autem magis principis sapientiam, quæ una & vera ejus gloria est, adeo adjuvare, quam junctos virorum sapientissimorum labores, quales edere solent collegia literaria. Ad ipsius populi salutem & ad rei publicæ prosperitatem potissimum respicio, in qua boni principis summum bonum efflorescere sani bonique omnes consentiunt. Quæ autem salus certior, quæ prosperitas commendatior, quam si populus desipere incipiat, fœda & noxia præjudicia, quibus, velut idolis, thura dedit, in errores prius prolapsus innumeros, ejiciat, audeat sapere, solisque radios, veritatis inquam, non obliquis, sed rectis oculis intueri? si veritas aut ignorata, aut inter privatos carceres detenta, publici juris fit? si ambages, quibus ad veritatem, quod putant, eundum est, sed quibus parentes nostri, priusquam eo pervenirent, immortui sunt, declinantur; si submota loquacitate res, non verba inania, addiscuntur? si ingeniis, hucusque in formulis tenendis frustra defatigatis, illi compedes solvuntur, integrisque viribus ad veritatis naturæque penetralia accedere conceditur? O beatum terque quaterque principem, si hos ha-



beat subditos! o felicem, si & ipse sapientiam pectore concluderit, & adminicula suis præbeat illuminandorum mentis oculorum. Talia docendæ juventutis conjunctis virorum proborum doctorumque contentionibus introducenda sunt conamina, quæ principis gloriam, reipublicæ salutem, regionis felicitatem, morum emendationem juvant; non nugis detinenda, non verbosa futilitate aut opprimenda, aut inflanda juvenum ingenia, qui gentis seminarium spesque sunt; disputationes de verbis amovendæ, rerum disciplina revocanda, in rerum enim natura vivimus, movemur & sumus, inter homines degimus; natura discenda est, sequentur mores, juvabit eos & perficiet religio.

Quis autem hæc exequetur feliciter, quis huic felicitati literariæ favebit impensius, adminicula certius supeditabit, quam senatus ejusmodi literarius, imperantis voluntate atque auctoritate suffultus, quem allatrare obscurorum virorum impudentia non audeat? Ita vero ingenia quoque populorum acui, ita disciplinarum elegantia in terris principis gloriam regionis conservari, quin acquiri, ita Musis sedem figi, ita tantis a præceptoribus omnem

omnem veteris & recentis doctrinæ gloriam genti principique ejus vindicari, quis tam ignarus est, ut nesciat, aut in dubium vocet? quod si itaque princeps neglexerit, o quam contemptum habebit imperium! quam fœdam subditorum ignorantiam! quos non errores ea pandet! quot a male sanis stultitiæ doctoribus pericula! quid mirum, si risui ineptiis digno & sceptrum & subditos exponat, eo, quod ad illa media attentus esse nolit, quibus emendari iste mentium torpor & imprimis sanæ solidæque philosophiæ ignorantia potest? cui cum obicem ejusmodi sapientium virorum collegia ponant, cur non ad eorum auxilia concurrant, qui principibus consilio juvandis destinantur? Ita vero sapere si populus a sanæ mentis viris discat, o quam longe ejicitur fastus ille scholasticus, ineptiis turgens, quem ex vanis disciplinis hauserunt isti, penes quos fuit & docere & doctrinam circumscribere, qui, quo plus venti concipiunt, eo plus inflantur. Hoc enim inter rectam disciplinam & vanam illam ineptamque verborum intercedit, ut qui res scrutatur & veritates eruit, quo majorem copiam didicerit, eo magis ignarum se esse credat, atque perspiciat, quam inania sint verba, & quantum sit rerum, quod nesciat, quoniam natura rerum inexhausta est; qui



autem excogitados ab hominibus vanis circumscriptos-
que verborum circulos futilitatumque facile patentem
campum peragraverit, is nugas consecutus, quibus do-
ctrinam omnem contineri aut putat, aut, ut credamus,
jubet, se omnia scire credat superbiatque. Consumtis
interim viribus atque ad meliora deficientibus homi-
nes isti non nisi ineptias & ipsi intelligunt & alios do-
cent, atque ultra prospicere nec ipsi possunt, nec trans-
gredi sinunt alios. Ejecta vero hacce rei literariæ peste,
amotis his ambagibus, tunc ad ipsos veros omnium
scientiarum fontes libera patet & principi & populo ac-
cessio, jubarque veritatis, instructæ & adornatæ com-
munibus doctorum virorum laboribus, ad finitimas
etiam gentes spargitur, ut admiratio tanti principis oria-
tur, cujus prima cura est, ut subditi dediscere inanes nu-
gas & sapere audeant, ipsique veras salutis scaturigines
explorare junctis viribus conentur. Talis cum princeps,
his adminiculis instructus hisque sapientiæ auxiliis defen-
sus, evadat, talia cum emendatus hominum ejus nutui
obtemperantium intellectus assequatur, non tantum vi-
cinarum gentium exempla proponuntur imitanda, inque
id cura intenditur, ne earum gloriæ quicquam conceda-
tur, sed præscripta quoque rationali studiorum norma,
quem

quem scopum præcipuum academix scientiarum habere solent, citato ad hanc metam gressu omnes properant, ut & ipsi feliciter illa, ad quam vident literatum principis senatum pervenisse, potiantur. Ita constituto in ditionibus imperantium docendi discendique ordine, & ejecta ita pravarum consuetudinum rubigine, substituta vero rectæ rationis & experientiæ methodo, ipsi, Auditores, judicate, ad quam gloriam & salutis publicæ incrementa princeps assurgat, ejus voluntate & jussu ista saluberrime ordinantur! Non hic ingeniorum servitus, non ridiculorum hominum, grandi elatoque stultitiæ supercilio auctoritatem sibi assumentium atque usurpantium, audacia regnat, sed libertas mentis & sana cogitandi atque libera severitas, quæ rationis atque religionis fœdere munita, a præjudiciorum & superstitionis catenis liberata, vera humanæ mentis decora consequitur, quam unicam ego & veram humani intellectus gloriam esse, & in hoc præcipue gentium ipsorumque principum honorem versari, subductis rationibus minime iniquus statuo, ideoque nobis in statutis academicis art. XLIV. mandatum fuit, non nisi ad unam veritatem esse respiciendum, hanc ex veris atque genuinis fontibus de-

demonstrandam, contemptuque habenda sectarum inania præjudicia (*).

Ita vera via strata, ipsi judicate, Auditores, quæ institutionis puerilis sapientia, qui ingeniorum honos, quæ disciplinæ academicæ gratia inde exsurgat, quidque debeat & princeps & populus collegio sapientium, ducem se præbentium, ut recta via omnes incedant! Qui cum in societatis suæ vincula viros optimos quosque, tum eruditionis laude, tum recta voluntate, per omnem literarium orbem commendatissimos recipiant, an non ita peregrino sole terræ principis illustrantur, ut in eo solo, velut centro, sapientiæ radii collecti clarius & splendidius emicent? Quæ una gloria est immortalitatem parere apta, digna qua immarcessibiles æternitatis coronas accipiat.

Solent sapientiæ circuli plerumque dividi in partem naturalem, cui mathematica adnumeratur, historicam atque philologicam classem; has cum prudenter secuta sit
aca-

(*) Auf nichts, als auf die Wahrheit, soll eine Rücksicht genommen, und diese durch die Anzeigung ächter Gründe erwiesen, schulsectenmäßige und ungegründete Vorurtheile aber nicht geachtet werden.

academia nostra, permittetis, Auditores honorandi, ut
 ad eas brevibus nutibus respiciat divertatque mea oratio,
 demonstratura, quid ex qualibet earum vel commodi &
 utilitatis, vel gloriæ, princeps adipiscatur, quid ad po-
 pulum redundet, si his classibus doctis laboribus subve-
 niant academici, scientiis amplificandis destinati. Non
 prolixa verborum ambitione utar; Vos enim, qui tan-
 topere in his scientiarum generibus excellitis, viva mihi
 exempla estis, ad quæ provocare securo liceat. Age-
 dum, ingrediamur museum physicum, exploraturi, quid
 emolumentis principis hinc accedat, quid honori ejus
 conveniat, quid eum inde juvet. Recte enim & ex me-
 rito utilitatem & emolumenta eum ex academicis labori-
 bus, naturalis scientiæ explorationi destinatis, sperare
 debere, sumtus, uni principi faciles, qui in illud studium
 physicum faciendi sunt, sine quibus torpet omnis aca-
 demicorum industria, uberrime evincunt. Verum fœ-
 nora illi non inania reddit repetita academici studii dili-
 gentia; terram enim & profundum, & flumina, & lacus,
 & fodinas, & loca, regionumque profunda curioso per-
 lustrans atque examinans oculo, & quidquid divitiarum
 benigna creatoris manus in illis abscondidit, indefessis

conatibus in apricum producens, & ad prima naturæ
 stamina & principia revocans, quot non nova detegit?
 quot latentes thesauros non profert in apricum? & mo-
 do metallorum atque mineralium conditionem, copiam,
 mixtionem, gradus, pretium, modo fontium vel salino-
 rum vel salubrium, thermarumque naturam, elementa,
 virtutes & effectus, modo ex triplici seu si mavis, quin-
 tuplici naturæ regno, minerali, vegetabili, animali, aërio,
 atque marino, verum naturalium divitiarum usum, igne
 chemico, cultro anatomico, microscopiis, experimentis,
 observationibus eruit & exponit; nec minus, ad dome-
 sticam imprimis thesaurorum naturalium copiam attenta,
 quid juvet hominum sanitatem, quid promoveat merca-
 turam, quid ornet vitæ commoditatem & usum, maxi-
 me vero, qui inde augeantur & amplificentur principis
 redditus, nobilitentur ejus provinciæ, beentur tantis in-
 structi bonis cives atque subditi, mirabundo orbi expo-
 nit & utilitati publicæ consecrat.

Ita vero princeps sua bona penitus noscere, res & fa-
 cultates terrarum suarum æquius æstimare discit, atque a
 Ventidiorum, carbones sæpe pro auro principibus ven-
 dere

dere magnis promissis verborumque ampullis solitorum, fuko dolisque securus redditur. Et quamvis in hoc laborum philosophicorum genere ad curiositatem quoque, eruditis disquisitionibus inhiantem, excurrat academiæ diligentia, utilitatem tamen non scientiis tantum naturalibus inde eruit, sed curiosum quoque ab utili & in commune emolumentum transferendo discernit; quo pacto, dici non potest, quantum inde proficiat publica salus, dum ab inanibus conatibus sumtibusque revocati homines ad ea, quæ omnibus natura & usu profunt, adducuntur, sicque practica administratione divitiarum naturalium regionis ubertas, a qua principis opes pendere solent, securis limitibus circumscribitur.

Dicerem idem de omnibus artibus, mercatura, peregrinatione, quibus potissimum regna atque provinciæ ditiescunt, quæque novis mechanicis inventis, novis astronomiæ observationibus, terra marique factis, & præprimis ad navigantium usum accommodatis, novis & laborum plenis tentaminibus circa mundi partes, cœlique & terræ descriptionem hætenus incredibili studio ab academiis scientiarum adjunctæ sunt, nisi noctuam Athe-

nas deferrem, ea vos, Auditores, edocturus, quæ ex ephemeridibus, commentariis, relationibus, actis, miscellaneis istarum academiarum vobis non possunt non esse cognita, ex quibus, si quis votorum locus sit, optamus, ut viri quidam, rerum philosophicarum, naturalium, mathematicarum periti, commentarios vel inventaria universalia conficiant, ut historiam amplificatæ scientiæ naturalis, sideralis, geographicæ, academiarum studio inde haurire liceat. Cujus generis specimen cum nupero demum anno Gallica scientiarum academia ediderit, spero, fore, ut laudabile exemplum cæteræ quoque sequantur. Colligerem ex his longe plura, Auditores, & quæ inde emolumenta ad artifices, opifices, & ipsum quoque agricolam redundant, copiosius expendere, verosque augendarum divitiarum principum fontes aperirem, quidque ex hoc studio proficiat ars salutaris, quid publica sanitatis custodia, quid medicorum solertia, quid proventuum publicorum procuratio, largiori oratione enarrarem, nisi ad finem dicendi mihi esset properandum; extollerem sane, ad majora respiciens cælumque intuitus, appositam istis studiis occasionem miracula divinæ potentiae, sapientiae, benevolentiae,

tiæ, curiosis explorationibus omnium admirationi pate-
 facta admirandi, sicque animos & principis & populi
 non superstitione, sed religione, fulciendi muniendique,
 ut omnis inde ad cœleste numen gloria redundet; dedu-
 cerem vos in officinas artificum, in horrea agricolarum,
 in fodinas metallurgorum, ad flumina, in sylvas, & ubi-
 que artis, contemplationis, & experientiæ ope in ad-
 mirationem conversos & vestram vestrique principis
 felicitatem extollentes ad Lares, quin ad templa, remit-
 terem, gratias pro istis beneficiis supremo numini rela-
 turos; atque ut summatim omnia complectar, naturæ
 artisque historiam exponerem, qua communis & prin-
 cipis & patriæ salus amplificari potest, si academiarum
 ejusmodi labor, principis munificentia suffultus, diligen-
 tiam in his eruendis rite probaverit. Verum lineam ita
 transilire cogar, exclusus multa de historica & philologi-
 ca parte dicere, quam vestris quoque studiis in hac nova
 academia destinavistis.

Animus Vobis est, gentium, maxime nostræ & vici-
 narum, origines, mores, consuetudines, vicissitudines,
 imperiorum fines atque mutationes explorare, fata pa-
 triæ describere, gloriosa principum facinora ex latentibus



bus monumentis enumerare, majestatem principum familiarumque purpuratarum manifestare, fabulas ineptas & inglorias ejicere, jura principis in historiarum fide & archivorum foliis delitescencia in sole meridiano ponere, avitam majorum gloriam principi ejusque stemmati nationique vindicare, antiquitates & monumenta vetera eruere, qui quantique majores nostri in orbe veteri fuerint, iteratis disquisitionibus indagare; nec minus grati constituiſtis, virorum maximorum principumque SERENISSIMÆ DOMUS BAVARICÆ de literis merita, instituta, documenta describere, virisque celebribus ex hac nostra gente debitæ laudis gratæque memoriæ monumenta ponere. Quid non in his excelsum? quid non TANTO, quo nos gaudemus, PRINCIPE dignum? quid non patriæ honori, utilitati & salutis in his est proficuum? quis non recte inde concludat, inter præclarissimæ SERENISSIMI ELECTORIS, heri nostri clementissimi, facinora esse prædicandum, quod tot regia & illustria exempla intuitus academiæ scientiarum condendæ animum admoverit manumque, & quæcunque vel summa auctoritas, vel egregia liberalitas & munificencia, ad consilium hoc exequendum conferre potuit, gratiosissima voluntate contulerit & conferre porro promiserit indulgentissime!

Talem tantumque principem cum in **SERENISSIMO ELECTORE** Domino nostro clementissimo, largita nobis sit divina providentia, cujus paternæ benevolentia nostram quoque, quæ conventum hunc publicum celebrat, academiam scientiarum, & huic tot viros doctos, in communem patriæ literarumque honorem conspirantes, debemus: cur non hunc diem festum faustis acclamationibus coronemus, & admirabundi, nostram in principe nostro felicitatem suspiciamus? Cur non Serenissimam **CONIUGEM**, delicias nostras amoremque populorum, fertis coronisque cumulemus? Cur non thura adoleamus cœlesti numini pro **PATRIÆ PATRIS** salute? Cur non novam, quam condidit, academiam ejus clementiæ, liberalitati, munificentia, sine qua inane nomen ferimus, devotissima reverentia commendemus? Et cur non lætis auspiciis credamus, idem nobis de **SERENISSIMO DOMINO** nostro expectandum esse, quod excelsissimis ejus majoribus **ERNESTUS**, Bavariæ Dux, princeps optimus atque literatissimus, in academia Angelopolitana, cum sceptrum academica more ejus temporis solenni deponeret, suis promisit, cujus verbis hanc orationem finio, ut intelligatis pristinae virtutis Bavaricæ fulgorem in hoc nostræ ætatis **PATRE PATRIÆ** resplendescere. Ita
vero



vero princeps optimus: (*), „Novistis probe, quemadmo-
„dum ALBERTUS, divæ memoriæ, parens meus, lite-
„rarum amantissimus fuerit. Notissimum est, quantum
„in literis peritiaque multarum linguarum valeat divus
„MAXIMILIANUS, Imperator, Cæsar, Augustus, avun-
„culus ac Dominus meus clementissimus. Progenito-
„rum itaque meorum vestigia secutus a teneris, ut ajunt,
„unguiculis studia Musasque colui; discendi cupidus in
„Italiam, literarum parentem, abivi; deinde ad hanc
„nostram academiam demigravi, cujus moderatorem
„me communibus suffragiis declarastis atque nuncupastis.
„Quamobrem bene sperare vobis licet, optimi patres,
„gymnasii nostri senatores! non me alium parente meo
„præstabo, sed quantum mea interest, summa semper
„curabo diligentia, & apud fratres germanos id sedulo
„agam, ut hoc alimum gymnasium largis locupletetur do-
„nationibus, amplissimis dotetur privilegiis omnigenis
„artium floreat doctoribus, vosque condigna laborum,
„studiorum, ac eruditionis vestræ stipendia, palmam,
„præmia, ac gloriam consequamini. O divum Ernestum
in MAXIMILIANO IOSEPHO, utinam ad
Nestoris annos, redivivum!

DIXI.

(*) Extat in rudimentis grammaticæ AVENTINÆ